6652
D7
y 1

PA 6652
.R9 D7
Copy 1

SCHEDAE RUTILIANAE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

A. D. IV. NON. MART. A. MDCCCLXXIV

H. XII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

IOANNES DRAHEIM,
BEROLINENSIS.

83224

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

H. TIEDKE, DR. PHIL.
R. LANGE, DR. PHIL.
H. ZURBORG, STUD. PHIL.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE (PAUL LANGE).

[1874]

PA6652
.R9 I7

MAURICIO HAUPTIO

S.

P. Rutilii Lupi de figuris libellus utrum modo verborum an etiam sententiae schemata amplexus fuerit, magnopere dubitari potest. Rutilium enim eas figuras quae supersunt verborum ordini adnumerasse demonstravit in quaestionibus Rutilianis Vratislaviae a. 1860 editis Gustavus Dzialasius. scilicet Quintilianus libro nono postquam alias verborum figuras commemoravit, etiam eas, quas ut alteri ordini nimirum sententiarum adscribat forsitan aliquis induci possit, non esse illi ordini ab ipso Rutilio adnumeratas his verbis confirmat (3,99): 'item Rutilius (verborum figuris adiecit) praeter ea quae apud alios quoque sunt παρομολογίαν ἀναγκαῖον ἠθοποιίαν δικαιολογίαν πρόληψιν χαρακτηρισμὸν βραχυλογίαν παρασιώπησιν παῤῥησίαν'. sententiarum autem Rutilii schemata quae Quintilianus IX, 2,106 enumerat in illius libello, qualem quidem nos habemus, non extant. de anancaeo sane quod ibi commemoratur agit Rutilius libro I,20: sed eam figuram ipse Quintilianus inter verborum schemata apud Lupum esse verbis modo allatis asseverat. similis. difficultas de antitheseos schemate exoritur, quod a Rutilio in utroque genere habitum et antitheton vocatum esse idem IX, 2,101 exhibet. neque vero repugnantia eius opinioni, qui verborum omnia quae extant Rutilii schemata censeat, invenias nisi ea quae de illis duabus figuris apud Fabium leguntur. quae cum non prorsus vera ratione Dzialasius illustrasse videatur, brevi retractemus. itaque ut ab antitheto exordiamur: quaeritur utrum ea figura quam II, 16 Rutilius describit utriusque generis sit an modo alterius. proferamus autem ipsam descriptionem: 'anti-

theton. hoc pluribus modis fieri solet et habet in omni genere orationis summam utilitatem. quare separatim demonstrandum est de unoquoque genere eius. unum est, cum contrariae res inter se conferuntur. Charisii —. hoc idem fieri potest in una persona, ita uti fecit Dinarchus —. est autem aliud genus huius, quod in eadem sententia priori verbo contrarium quod est infert et coniungi solet. Isidori —. aliud est item quod superiori infertur. sed consequenter, ita uti fecit Demetrius Phalereus —' ut appareat improbandos esse eos, qui duo antitheti genera hic descripta cognoscere sibi videantur. iam statim enim Rutilius non de utroque genere sed de unoquoque demonstrandum sibi esse dicit. praeterea nequeunt ea quae Rutilius enumerat in duo aut bina genera separari, quorum haec verborum schemati, haec sententiae vindicentur. tria enim non quatuor si numerare possum sunt antitheti genera Rutiliana. alterius igitur, non utriusque generis antitheton Rutilii est neque dubitari potest, cum et antecedant et sequantur verborum figurae, quin et ipsum sit schema elocutionis. sed anancaei quoque descriptio ita comparata est, ut de duorum generum discrimine Rutilium appareat non cogitasse, cum dicat I, 20 'hoc schema tunc prodest atque omnis eius utilitas in eo est, cum volumus ostendere necessitudinem aut naturae aut temporis aut alicuius personae'. habemus igitur alterius ordinis figuram: verborum scilicet, cum inter paromologiam et ethopoeiam et a Quintiliano commemoretur et ab ipso Rutilio posita sit. nimirum ipsius Rutilii ordinem in enumerandis figuris a Quintiliano observari Dzialasius animadvertit. itaque valeto anancaeum illud, quod Fabius sententiae schematis Rutilianis nescio num recte adnumeret. dicit enim IX, 2, 106 'Rutilius sive Gorgias (posuit inter lumina sententiarum) ἀναγκαῖον ἀνάμνησιν ἀνθυποφορὰν ἀντίῤῥησιν παραύξησιν προέκθεσιν, quod est dicere quid fieri oportuerit, deinde quid factum sit, ἐναντιότητα, unde sint ἐνθυμήματα κατ' ἐναντίωσιν, μετάληψιν etiam, quo statu Hermagoras utitur'. mirum etiam est, quod Fabius iterum Gorgiae post Celsum rationem habet, cum de eo

iam duabus paragraphis ante satis exposuerit: mirum praeterea, quod laudavit Rutilium qui transtulit, cum deberet inventorem laudare Gorgiam. sed missas hic faciamus hasce dubitationes: constat enim servatas Rutilii verborum modo figuras esse. at ubi credamus omnino de sententiae figuris Lupum egisse?

Ruhnkenio quidem satis multum videbatur post prioris libri paragraphum V intercidisse, ut eas figuras Rutilianas, quae cum a Quintiliano commemorentur, tamen apud Rutilium non inveniuntur, illic tractatas fuisse suspicaretur. at quis est, qui Rutilium, quem duo schematum genera agnovisse e Quintiliano elucet, alterius generis figuras medias inter alteras tractasse concedat? quod quidem in carmine illo, quo anonymus quidam ex ordine alphabetico figuras rhetoricas ita enumerat, ut unius cuiusque literae schemata ordinem Rutilianum servent, ἀνάκλασιν statim ἀντιμεταβολὴ excipit: inde nihil intellegitur nisi iam versificis illius temporibus ἀντιμεταβολὴν post ἀνακλάσεως schema scriptam fuisse. sed rationem neque veram neque similem verae habemus ullam, qua liceat contendere fuisse sententiae figuras a Rutilio post ἀνάκλασιν ante ἀντιμεταβολὴν tractatas: at omnino tractatas esse eas unde scimus? Quintilianus enim non dicit ἀνάμνησιν ἀνθυποφορὰν ceteras tractatas fuisse a Rutilio sed modo alteri figurarum generi adscriptas. adscribere autem ei generi illas figuras Rutilius potuit sive in praefatione sive absolutis verborum schematis, ubi de figurarum natura communia quaedam exponeret et singulas enumeraret, non describeret. potuit igitur prohoemium talia complecti, potuit etiam intercidere facillime, cum ad vulgarem discendi usum cetera describerentur.

Quod si cui persuaderi nequit, tamen certum est cum de schematum natura tum de sententiae et elocutionis distinctione Rutilio sive Gorgiae probatam non fuisse solemnem ac plerisque rhetoribus usitatam opinionem, sed singularem quandam, cuius explicationem periisse dolendum est. singularem autem fuisse Rutilianam schematis definitionem inde patet, quod Quin-

tiliano iudice praeter ea quae alii quoque habent multa, quae Rutilius elocutionis schemata esse putavit, omnino schemata non sunt. eodem Quintiliani iudicio quod extat IX, 3, 99 confirmatur alterum illud quod diximus: non posse Rutilii figuris distinctionem elocutionis et sententiae eam accommodari, quam et Fabius et Graeci auctores exhibent. qui verborum schemata ea dicunt esse, quae si verba mutes tollantur, sententiae ea quae quamvis mutatis verbis serventur. si quis vero enucleare velit, quae ipsa Rutilii de his rebus sententia fuerit: is definitionem schematis non inveniet nisi utriusque schematum generis descriptiones coniungat. primum igitur percontari opus est, quid sententiarum figurae Rutilii a Quintiliano commemoratae inter se commune habeant, deinde cum his reliqua Rutilii schemata comparare.

Sed ut anancaeum Rutilii a Fabio inter utrumque figurarum genus commemoratum praetermittamus: tamen quid ille anamnesin, quid anthypophoram antirrhesin parauxesin proecthesin enantioteta metalepsin esse voluerit, accurate non potest dici. anamneseos nescio an ex Isidoro definitionem subicere Rutilio liceat, quam legimus in Halmii rhetorum corpore 521, 15 'anamnesis est commemoratio eius rei quam oblitos fuisse nos fingimus'. omnino autem recordatione sive commemoratione tali animum audientium is qui loquitur magis intendere ad id studet quod sibi in mentem venire dicit. de anthypophora exponit anonymus carminis auctor v. 28, cuius descriptionem e Rutilio sumptam esse propterea non licet contendere, quia haec figura apud eum post omnes eas Rutilii quae A litera incipiunt tractatur. sed fit relatio, ut eius interpretatione utamur, si quis quae sibi adversa sint referat: refellendo autem iniectas eiusmodi dubitationes oratores confirmare suas sententias et audientibus comprobare student. quae figura quo differat ab antirrhesi non video, si hanc recte dixerit Wolffius Quintiliani interpres esse contradictionem, qua orator quae ipse proponat statim refutet. neque vero de antirrhesi neque de parauxesi equidem quidquam

usquam potui invenire. proecthesi autem, quae secundum Quintilianum est dicere quid fieri oportuerit, deinde quid factum sit, utitur is qui alicuius facti iniquitatem quam maxime illustrare vult. ex enantiotetos figura Quintilianus tradit esse ἐνθυμήματα κατ' ἐναντίωσιν: quae sunt conclusiones sive iudicia ex oppositis facta. est igitur enantiotes, quam aliunde non novimus, figura qua duae res vel plures interse opponantur eo consilio, ut inde iudicium sive conclusio fiat. lucidiorem autem e rebus oppositis orator conclusionem efficit, quam si nude idem iudicium pronunciet. denique metalepsin Quintilianus dicit eam esse, qua sicut statu Hermagoras utatur: quamobrem nihil ad Rutilium faciunt descriptiones apud Halmium 77, 17 et 612, 25 quae de verborum translatione atque usu improprio agunt, sed attinet huc quod de Hermagorae statu habet Aurelius Augustinus apud Halmium 143,5 'nihil enim statuo tam interesse eorum, quibus iudicium intenditur, quam declinare iudicium. porro ipsam declinationem iudicii habere nonnullam iudicii speciem. nam si ita res ageretur, ut quotiens nollet aliquis causam induci, esset hoc in ipsius potestate, nulla erat quaestio: nunc cum semper existant qui impediant, ipsa illa contentio, qua alter in iudicium vocat alter recusat iudicium, facit quaestionem. quod controversiae genus Hermagoras μετάληψιν appellat'. cui statui similem esse eiusmodi figuram necesse est, qua orator id, quod adversum sibi est, ita reiciat sive declinet, ut eius ratione habenda supersedeat. id quoque orator non efficit verborum aut pronunciati alicuius formatura, sed ipsa tractandi vel agendi ratione.

Brevius de his rebus locuti essemus, nisi rem ita illustrare nostra interesset, ut communis illorum schematum ratio appareret. videtur autem omnibus his figuris orator velle audientium animos vel movere vel regere et ita quidem, ut non ipsis verbis neque sententiarum formatione sed ipsa re ipsaque cogitationis et sententiae vi atque pondere id efficere studeat. iam vero prodebamus, quid nostra quidem opinione proprium earum figurarum esset quae apud Rutilium adhuc extant, nimirum ut

idem illud efficiendum sit, sed ipsis verbis ipsaque sententiarum formatione. quae distinctio quo clarior fiat, exemplo illustretur characterismi quem ipse Quintilianus negat a Rutilio recte verborum figuris adscribi. poterat enim Lyco illam ebrii descriptionem, quae apud Lupum II, 7 servata est, si simpliciter loqui voluit, omittere. poterat dicere 'quid in hoc arbitrer bonae spei reliquum residere, qui omne vitae tempus una ac despicatissima ebriositatis consuetudine producit?' sed audientibus persuadere longiore illius vitii descriptione maluit, qua simul affectum moveret despectionemque excitaret. assensionem igitur petit colore, quod Graeci ἦθος vocant, orationem ornans: isque color efficitur, cum pluribus verbis depingitur, quod una voce notari potuit. non igitur vis posita est in cogitationum gravitate aut coniunctione. similiter anancaeon verborum schema Rutilianum I, 20 efficitur, si necessitatem orator non significat sed explicatione illustrat, neque diversa est reliquorum ratio.

Jam schematum genera qualia Rutilio visa sint, apparet. sententiae schemata pondere cogitationum atque compositione effici vidimus. atqui non licet credere Rutilii de hac re opinionem a Gorgia discessisse. itaque quasi obrussa possumus Gorgiae quibusdam sententiarum figuris uti quas Quintilianus IX, 2, 103 servavit, si inquiramus an in eas quadret illa definitio. Rutilii vero neque solum Gorgiae haec schemata fuisse consummationis, consequentis, collectionis, minarum, exhortationis, quae Ruhnkenii fuit opinio, id e Fabii verbis non potest evinci. Ruhnkenius enim in praefatione p. XVI dicit a Quintiliano duodecim schemata laudari, quorum nullum in exemplaribus nostris vestigium reperiatur. immo essent tredecim: nam anancaeum a Quintiliano inter sententiae figuras laudatum non esse idem cum anancaeo Rutilii servato constare putamus. sed illis septem Rutilii figuris, de quibus locuti sumus, quinque illas Gorgiae propterea nolumus adnumerare, quia nolumus credere Quintilianum intermissa tantum Celsi commemoratione bis de Rutilio, nimirum 103 et 106, dixisse. contra si paragraphum 103 ad

Gorgiam referimus, 106 ad Rutilium, quamquam displicet Gorgiae nomen 106 cum Rutilio coniunctum, tamen id potest interesse, ut 106 Fabius enumeret communia utrique rhetori schemata, 103 autem ea quae solius sint Gorgiae: 'consummationem quam Graecus διαλλαγὴν vocat, cum plura argumenta ad unum effectum deducuntur. consequens, ille ἐπακολούθησιν, de quo nos in argumentis diximus. collectionem qui apud illum est συλλογισμός. minas, idem κατάπληξιν. exhortationem, παραινετικόν.' primae figurae nomen Graecum corruptum est neque adhuc a viris doctis restitutum Halmio videtur. sed quia de deducendo Fabius loquitur, hanc διαγωγὴν fuisse opinor, cuius aptam descriptionem inveni in Stephani thesauro nescio unde sumptam. est autem haec figura ἐναντιότητι, de qua diximus, simillima similique modo efficit persuasionem. idem dicendum est de syllogismo neque dubitandum quadrentne haec schemata cum definitione, qualem Rutilii nos fuisse explicavimus. ἐπανακολούθησις quidem non ita differt a prosapodosi quae figura verborum apud Rutilium est, ut nunquam coniuncta cum illa esse possit: est enim ea figura, de qua in argumentis Fabius se ait dixisse (V, 14, 1), propositio cum ratione sive probatione coniuncta. sed non potest clarius quam hic monstrari quid inter utrumque figurarum genus interesse Gorgias et Rutilius putaverint: nam vis epanacolutheseos est in ipsa rationis atque propositionis coniunctione posita, prosapodosis vero ea dicendi forma est, qua vel statim vel posterius singulis sententiis ratio subiungatur. quid denique dicam de minis et de exhortatione, quae quin affectum non pronunciati formatione sed gravitate sententiarum efficiant, non est dubium.

Quodsi recte explicavimus Quintilianum idque quod de sententiae figuris Rutilii nobis visum est comprobavimus, iam possumus descriptionibus utriusque generis figurarum coniungendis, quid omnino Rutilius schema putaverit, enucleare. putat autem credo Rutilius oratorem adhibendis figuris id sibi velle, ut non communicetur cum audientibus aliquid aut eis explicetur, qui

est alioqui dicendi finis, sed ut ornate dicendo cum affectu quodam id percipiatur de quo dicitur. affectus vero efficitur aut vi ac natura cogitationum aut delectu verborum sententiarumque formatione. Lupi definitio, nisi eam nimis amplam reddidimus, cum ceteris fere consentit: maxime differt a Zoilo, cuius finitionem ceteris ut videtur antiquiorem Phoebammo p. 588 Ald. et Quintilianus IX, 1, 14 sic tradunt 'schema esse quo aliud simuletur dici quam dicatur'. figuram autem esse aversam a simplicitate formam dicendi etiam Caecilius apud Phoebammonem p. 588 et Tiberius p. 167 Fisch. censent, quibus Quintilianus atque Alexander Numenii ipseque Phoebammo assentiuntur, nisi quod malunt id quod illi dicunt τὸ μὴ κατὰ φύσιν novo termino hi appellare ἐξάλλαξιν ἐπὶ τὸ κρεῖττον, Fabius vero formam cum arte aliqua novatam. troporum a figuris differentiam qualem Rutilius fecerit, ignoramus. certus autem terminus certaque distinctio eius, quod sit simpliciter dictum neque a solemni sermone recedat, ab eo, quod sit cum arte novatum, quia extra uniuscuiusque arbitrium fieri nequit, idcirco fit, ut hanc vel illam esse figuram hic neget, ille contendat. itaque etiam Quintilianus quaedam schemata Rutilium negat recte statuisse (IX, 3, 99). maior vero est inter Rutilium ceterosque rhetores dissensio in finiendis schematum generibus. quod quidem duos illos ordines elocutionis et sententiae recepit, id cum plerisque ei commune est. sed fuerunt et qui prorsus aliam divisionem facerent et quibus sententiae atque elocutioni hunc illumve ordinem addere placeret. illos, qui prorsus alio modo diviserunt, nihil attinet cum nostro comparare. ii qui duobus illis quae Rutilius quoque fecit generibus contenti non fuerunt, quorum etiam Ciceronem esse Quintilianus IX, 1, 36 iudicat, tamen ita fere omnes consentiunt, ut tolli putent, si verba mutentur, lexeos schemata: non tolli figuras sententiarum. a quorum opinione longe abest Rutilius. mutari enim quantum vis possunt verba vel ethopoeiae eius vel characterismi, manet vis loquendi: quippe quae non sit in ipsis singulis verbis sed in longiore eius rei explicatione posita.

nonnulli autem λέξεως atque διανοίας schematis schemata λόγου addiderunt et ea a λέξεως figuris ita distinxerunt, ut illas fieri in singulis verbis, λόγου vero schemata in elocutionis compositione censerent. quibus plane assentiuntur Fortunatus p. 126, 24 Halmii et Victorinus p. 271,23, appropinquat autem Quintilianus IX, 3, 2, cum elocutionis figuras in duo genera, alterum grammaticum alterum rhetoricum dividat: quorum id quod grammaticum dicit λέξει respondet, alterum autem λόγῳ. cui distinctioni Rutilium quoque suffragatum esse tum modo pateret, si quis eius figuras ita posse non violato ordine dividi demonstraret, ut altera pars ad hoc genus altera ad illud referenda esset. sed neque eiusmodi divisionem neque omnino aliam equidem potui aqud eum invenire. itaque sic iudicandum est de Rutilii doctrina: accepisse eum ea duo genera, quae post Augusti tempora prorsus a quoquam reiecta esse ignoramus, sed definitionem eius generis quod in verbis esset ampliorem fecisse quam reliquis placeret.

Quam doctrinam quin Rutilius a Gorgia totam receperit, dubium non est: neque omnino, ubi Fabius Lupum auctorem laudat, Gorgiae nomen obtegi debebat. sed indulgendum Quintiliano est, quod Romanus Romanos interpretes quam Graecos auctores laudare nonnunquam maluit. id tamen manifestum est earum modo rerum auctorem Rutilium appellari potuisse, quas a Gorgia in librum suum re vera recepisset. itaque cum de schematum natura atque divisione ipsa locutum esse nusquam Fabius Nostrum tradat, certum esse forsitan quispiam neget de his rebus Rutilium exposuisse. sed quoniam a ceteris ea doctrina discedebat, quam Lupus secutus est, eum non tacere de illo discrimine oportuit, sed nisi plura diceret, tamen mentionem eius facere atque ad Gorgiam lectores revocare.

Itaque in eo, quod de amissa Rutiliani libri parte diximus, perseveramus: potuisse eum concedimus ibi brevius has res laudato Gorgia commemorare. illius enim ex libris etiam de singulis figuris plura posse disci ipse Rutilius II, 12 his verbis in-

dicat 'tamen quid intersit, et ex unius cuiusque supposita sententia cognoscere poteris et multo diligentius ex Graeco Gorgiae libro, ubi pluribus unius cuiusque ratio redditur.' neque dubium est, quin ea inter Gorgiae et Rutilii libros differentia fuerit, ut quod ille pluribus exposuisset, hic brevi referret.

Sed diversum a Gorgia etiam aliis rebus Rutilii librum fuisse apertum est. multas enim figuras etiam, quas Graecus ille rhetor statuerat, Lupus omisit. inter quas fuisse ex eo, quod de Quintiliani IX, 2 paragrapho 103 disputavimus, apparet consummationem consequens collectionem minas exhortationem. praeterea Rutilius exempla Gorgiae, quorum an partem in singulis figuris illustrandis praetermiserit nescimus, ipse non aliorum versionibus usus, quam Casauboni opinionem Ruhnkenius in praef. p. XVII sq. refellit, in sermonem vernaculum transtulit. sed nonnunquam schematis ratione coactus Rutilius pro Graeco exemplo aliud ex auctoribus Latinis sumptum Ruhnkenio videbatur posuisse. quod cum ille vir eximius non prorsus recte, ut mihi quidem videtur, iudicaret: inde factum est, ut Lupo suppositum ab interpolatore exemplum anaclaseos Proculeianum p. 18. putaret. spreta autem a Rutilio esse Graeca exempla etiam tum videmus, ubi nulla schematis necessitas intercederet. ita diaphoram I, 12 carmine illustrat, quod Ennio Meinekius vindicavit: itemque Latina carmina II, 6 Hauptius restituit. atque si licet sumpta e Latinis scriptoribus aut a Rutilio ipso composita ea omnia putare, quibus auctorum nomina non praescripta sunt, attinent huc etiam paradiastoles exemplum I, 4 et plurium verborum iteratio I, 11 'at ego in his aerumnis —' deinde ea quae extant II, 3. 5. 12. 15. neque enim timendum est, ne quis Graecum horum auctorum inveniat, ut Spengelius II, 19 Isocratem, quia omnibus his antecedunt aut haec verba 'id est huius modi' aut 'ita uti hoc est', quae ceteris exemplis antecedentia non reperimus. praecedunt autem ea verba etiam homoeoptoti exemplo alteri II, 13 'in rebus adversis cui praesto est consilium —', ut appareat hoc non esse ex Graeco versum. sed quamvis ea

figurae illius natura sit, ut in aliam linguam nisi summa arte vertatur, vim suam perdat, tamen illud nequaquam pro Ruhnkenii opinione afferri potest: habemus enim ibidem alterum exemplum e Sosicrate a Rutilio translatum. itaque manifestum est de eligendis exemplis Lupum non aliter censuisse quam eum, quem sequeretur. nimirum ut ille canoni qui dicitur Alexandrino quasi addictus esse noluit, ita Rutilius quoque nihil referre iudicavit, utrum Gorgiae obnoxie in hac re accederet necne, sed viva tum quidem rhetoricae doctrinae ratione ea attulit, quae ad rem illustrandam aptissima viderentur. contra cum rigescere ea disciplina et velut lapidescere coepisset, tum reperimus eius professores Graecos aut nunquam aut rarissime ex aliis praeter eos auctores, qui Alexandrinorum iudicio sanciti essent, exempla petivisse.

At quoniam cum Gorgiae institutione rhetorica comparandum Rutilium suscepimus, praeterire non licet id, quod Quintilianus IX, 2, 102 exhibet 'Rutilius Gorgiam secutus, non illum Leontinum sed alium sui temporis, cuius quatuor libros in unum suum transtulit'. cui testimonio scriptores codicum Rutilianorum et editores adversantur: ubique enim duo Lupi libri feruntur. sed cum omnino posse in duas partes Rutilii figurarum ordinem dividi negaverimus, divisionem illam a librariis fortasse ad usum commodiorem inventam iudicamus. plane vero otiosum esset aut tollere aut repraehendere distinctionem eam duorum Rutilii librorum, si eundem unum librum restitui integrum posse desperandum esset, quem Quintilianus cognosceret. itaque prorsus abstinere hac disquisitione oporteret, si verum esset, quod Dzialasio videbatur. nam 'hanc nudam figurarum' inquit 'sine ulla ratione ex ordine collationem, quae posteriori demum tempore usu venisse videtur, nulla re de usu, de cohaerentia figurarum addita a viro, quem Quintilianus dignum putaret cuius tantam rationem haberet, profectam esse non est veri simile'. patet igitur necesse esse ut investigemus mutilusne sit et curtatus

Rutilius, quae Dzialasii opinio est, an integer praeter partis cuiusdam de qua diximus iacturam.

Quod autem doctus ille vir de Quintiliani iudicio dicit, id minimi ponderis mihi videtur esse: cur enim ille Rutilium tanti aestimaverit, non constat. neque sola est schematum descriptio, propter quam aliquis rhetor vel praeceptor magni aestimandus sit: nam etiam propter singularem doctrinam, quam sequatur, potest magni faciendus haberi. talem autem fuisse iam intelleximus Rutilii sive Gorgiae disciplinam, ut nonnullis in rebus vel ab omnibus reliquis discederet. cur igitur idcirco potuisse fieri negemus, ut Rutilium non praetereundum sibi esse Quintilianus censeret? atque etiam id excusavimus, quod Rutilium plerumque quam Gorgiam laudare Fabius maluit: quippe cui non discipleret Cicero Tusculanarum quaestionum initio ita locutus 'suum semper iudicium fuisse omnia Romanos aut invenisse per se sapientius quam Graecos aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuissent in quibus elaborarent'. sed id maxime fortasse Dzialasium movit, quod Fabius IX, 3, 88 sq. disputat 'quaedam verborum figurae paulum figuris sententiarum declinantur ut dubitatio. nam cum est in re, priori parti assignanda est: cum in verbo, sequenti. Sive me malitiam sive stultitiam dicere oportet. item correctionis eadem ratio est. nam quod illic dubitat, hic emendat. etiam in personae fictione accidere quidam idem putaverunt, ut in verbis esset haec figura: Crudelitatis mater est avaritia. et apud Salustium in Ciceronem: O Romule Arpinas. quale est et apud Menandrum: Oedipus Thriasius. haec omnia copiosius sunt executi, qui non ut partem operis transcurrerunt, sed proprie libros huic operi dedicaverunt sicut Caecilius Dionysius Rutilius Cornificius Visellius aliique non pauci'.

Opus autem erat totam hanc de ἀπορίας μετανοίας προσωποποιίας figuris explicationem adscribere, ut appareret non recte illud 'haec omnia copiosius sunt executi' a Dzialasio ad ipsam verborum et sententiarum schematum declinationem referri. nam ille ita disserit 'quod autem Quintilianus dicit Rutilium de de-

clinatione figurarum verborum et sententiarum copiosius egisse, eius rei nullum usquam vestigium apud Rutilium nostrum reperitur, quamquam eae figurae, quae ut eius generis a Quintiliano afferuntur ἀπορία μετάνοια προσωποποιία servatae sunt'. potest quidem de illa declinatione Rutilius in amissa libri parte egisse, sed copiosius executus illas figuras esse iam propter ea dici potest, quae apud eum II, 10. I, 16. II, 6 leguntur: nimirum copiosius quam Fabius, qui obiter tantum eas commemorat. ceterum nolo hic iterum proferre, quod iam aliquoties dixi, Quintilianum laudare Rutilium maluisse quam Gorgiam.

His igitur rationibus non licet mutilatum iudicare aut curtatum Rutilii librum: imo probari posse credo integram esse neque ab excerptoribus corruptam eius figurarum descriptionem. quod enim Dzialasius, cuius verba supra attulimus, eam figurarum collocationem, cum nuda atque sine ordine facta videretur, a Rutilio profectam esse negavit, ei obstant Quintiliani testimonia IX, 3, 93 et 99. ex altero enim apparet iam Quintiliani temporibus prosapodosin primam fuisse apud Rutilium figuram: IX, 3, 99 autem eodem ordine schemata ipse Dzialasius animadvertit a Quintiliano enumerari, quo apud Lupum adhuc extant. neque de Rutilio solum, sed de Cornificii quoque schematis hoc dicendum est, quae antecedente paragrapho a Fabio commemorantur.

Non eandem antiquitatem attamen aliquam auctoritatem habet anonymi carmen de figuris compositum, ex quo quem ad modum possit schematum ordo Rutilianus comprobari, iam exposuimus. praeterea nullam apud Lupum inter anaclasin et antimetabolen deesse figuram inde non posse demonstrari concedimus. at aliunde ea opinio, qua vulgo credunt inter quintam et sextam prioris libri paragraphos aliquas figuras intercidisse, ut mihi quidem videtur, refelli potest.

Nam qui rationem in schematum ordine apud Rutilium plane desiderari contendit, is mihi videtur duas res neglegere, quarum altera ad totius antiquitatis naturam pertinet, altera ad ipsum

Rutilium. primum enim constat omnino a veteribus artium leges non ex logicis systematis deductas, sed in ipsis artium monumentis observatas atque inde haustas esse. itaque qui omnino schemata ex ordine collocari vult, is posteriores adeat, Quintilianum dico et Phoebammonem: qui categorias certas schematum statuerunt. neque ipse suam dispositionem totam Phoebammo invenit, quae Dzialasii opinio est, sed maximam partem ex Quintiliano eam hausisse mihi videtur. quamquam enim Quintilianus libro IX, 3, 28. 58. 66 verborum solum schemata ita disponit, ut primum ea enumeret, quae per adiectionem fiunt, deinde ea, quae detractione, atque ea, quae vocum similitudine efficiuntur: simillimae tamen his sunt Phoebammonis categoriae, quas apud Walzium VIII, 496 ita enumerat 'καὶ ἰστέον, ὅτι πάντα τὰ σχήματα κατὰ δ' τρόπους ἤτοι αἰτίας· κατὰ ἔνδειαν κατὰ πλεονασμὸν κατὰ μετάθεσιν κατὰ ἐναλλαγήν'.

At redeamus ad Rutilium atque exponamus, quod statim apparet: coniungi ab eo semper ea schemata, quae simillima sint. id maxime manifestum est II, 12, 13. 14. dicit enim ipse II, 12 de paromoeo 'hoc schema et homoeoteleuton et homoeoptoton fere non multum inter se distant'. observandum autem est tres plerumque figuras, nonnunquam duas, nunquam quatuor ita coordinari. coordinantur igitur epibole I, 7 quae est eiusdem verbi ante singulas sententias repetitio, epiphora I, 8 in qua eodem verbo plures sententiae finiuntur, coenotes I, 9 quae est utriusque schematis coniunctio. praeterea polyptoton epanalepsis diaphora I, 10. 11. 12, quae omnia constant eiusdem verbi iteratione. deinde epiploce I, 13 polysyndeton I, 14 dialysis I, 15, quae figurae varios in connectendis sententiis modos complectuntur. item isocolon II, 15 et antitheton II, 16 cuius species vel forma quaedam isocolon est. denique epitrope et parrhesia II, 17. 18 quae sunt genera audacter cum iudicibus loquendi. quod vero reliqua schemata non reperimus eadem ratione coniuncta esse, id observationi nostrae nequaquam adversatur.

Sed apparet nullam figuram post anaclasin intercidisse: nam

antimetabole, quae eam excipit, cum antecedentibus paradiastole et anaclasi triadem quam Graeci dicunt similem eis efficit, quas enumeravimus. nimirum hae omnes fiunt notionum aut verborum similitudine ac mutatione. notiones enim verborum si propter similitudinem comparantur, habemus paradiastolen: si mutantur, anaclasin. item si mutantur notiones, fit anaclasis: si verba, fit antimetabole. unde mihi quidem certum est nihil excidisse praeter sextae paragraphi initium.

Ut vero non videntur nobis sine ulla ratione disposita Rutilii schemata esse, ita ne in descriptionibus quidem, quas ita rudes Dzialasius iudicabat, ut nudam hanc collocationem appellaret, mutilatoris vel excerptoris manum agnoscimus. integram potius esse sicut ipsam collocationem ita etiam figurarum explicationem demonstrare nobis in animo est. hoc vero, quod Dzialasius fortasse iam dudum ipse intellexit, persuaderi quibusdam hominibus nunquam posse pro certo habemus: qui accuratissime loqui, etiam ubi id opus non est, omnes debere arbitrantur atque ad amussim omnia dirigere student.

Multum sane differe perlegentibus apparet dicendi genus exemplorum a descriptionibus figurarum. exempla enim, sive ea spectes quae Lupus e Graecis transtulit sive ea quae vel a Latinis auctoribus sumpsit vel ipse finxit, loquellam ostendunt elegantissimam concinnatissimam: contra ipsae finitiones, si finitiones appellare licet, non celant simplicem et quotidianum sermonem. sunt enim non tam finitiones quam descriptiones plerumque nequaquam accuratae: ut appareat summam operam Rutilium exemplis concinnandis navasse eumque exemplis docere et rem illustrare quam definitionibus maluisse. qua in re tantum abest, ut offendi oporteat, ut potius prorsus reiciamus eorum studium, qui talem dicendi varietatem cum agnoscere aut intellegere non possint, tollendam suscipiant,

Neque ea fuit Ruhnkenii mens, cuius verba praef. p. XV haec sunt ‘nihil hic sophisticarum argutiarum, in quibus Seneca Plinius et quicunque eos secuti sunt sibi tantopere placuerunt.

omnia simplicem et naturalem pulcritudinem habent similem Tullianae, cuius imitandae studium aliquot locis etiam deprehendimus'. fuit autem imprimis Jacobus quidam Simon, qui mutationibus iis quas nuper protulit Rutilio quidem fere nihil utilitatis attulit, ingenii vero gloriam sibi ipse pessimam paravit. ne quis vero credat illum immerito a me repraehendi, exemplo sit eius coniectura in Philologi tomo XVII edita, qua Rutilii paragraphum I, 17 ita corrumpere conabatur 'parenthesis. hoc schema efficitur, cum in continenti sententia aliquid interponitur, quod neque eius sit sententiae neque omnino alienum. sed periculose ponitur', cum sano homini sana videri debeant, quae traduntur 'parenthesis. cum in continenti sententia aliquid interponitur, quod neque eius sit sententiae neque omnino alienum ab ea sententia, tum denique hoc schema efficitur. sed periculose ponitur'. neque unquam docti viri in his verbis quicquam mutandum censuerunt. ergo ne locum demus Simonis mutationibus, quarum e multis unam neque omnium ineptissimam proposuimus, sed admittamus Rutiliana commodi ac simplicis sermonis vestigia, cum excusari facillime possint.

Apparet autem aliter exercendam esse artem criticam in figurarum descriptionibus, aliter in exemplis Rutilii diiudicandis atque emendandis sed necesse est eius artis leges quales in Rutilio tractando sint, accuratius explicetur. quamquam non is sum, qui unam eandemque omnino artis criticae naturam esse non intellegam: nimirum ut, ubi varie aliquid tradatur, ibi inquiramus, cui testi veritatis fides habenda sit, ubi autem nec varietas ulla intercedat neque loquendi aut cogitandi leges violentur, ibi ne dubitemus neve immutare suscipiamus. itaque ubi plures testes extant, id primum fieri debet, ut certi ab incertis distinguantur. neque ea ratione Rutilii libri udhuc comparati sunt.

Quod cum necessarium nobis visum sit, tamen antequam fiat, id illustrare volumus, quod diversa ratione exempla et de-

finitiones tractanda esse diximus. sunt enim loquendi et cogitandi illae leges, quibus ars critica moderanda est, tum acriores tum remissiores: acriores autem apud Rutilium in exemplis, remissiores in figuraram descriptionibus. quae differentia quanta sit, maxime patet, si ea, quae pro interpolatis in Rutilii libro a viris doctis adhuc habita sunt, comparamus.

Sunt autem eae interpolationes omnes ita comparatae, ut e librorum discrepantia cognosci non possint: pariter enim in omnibus leguntur. sed eae, quas Halmius aut ab aliis cognitas probavit aut ipse cognovit, praeter unam omnes in exemplis occurrunt: in descriptione modo II, 1 verba quae sunt 'aut fortunam' suspicionem moverunt. rationem vero habent omnes eandem, nimirum ut statim non solum iis careri posse pateat, sed etiam unde ortae aut sint aut esse possint eluceat. ac certissima res est I, 4, ubi illud 'intellegi', quod ineptum esse iam Ruhnkenius perspexit, delendum esse Hauptius demonstravit, ab interpolatore additum est, qui infinitivum desideraret. verbis autem, quae obscura viderentur, explicandis inservisse haec Ruhnkenius et Halmius viderunt: I, 7 periculi, 18 virilis naturae, II, 2 tyranni. addere quod e re esset lector aliquis sibi videbatur II, 1 illud 'aut fortunam'. vix equidem abstinere possum, quin eidem haec omnia interpolatori deberi contendam. quae vero omisimus, ea cum dubia sint non hic diiudicare sed infra examinare in animo habemus. eius modi est praeter Halmii quasdam Madvigii quoque coniectura, qua vir ille doctissimus II, 7 librorum verba, quae sunt 'ebriosum ipsi vix ebrii cognoscunt', sic emendanda censuit 'ebrii se ipsi vix cognoscunt', ut post vix particulam ebrios a margine, ubi errorem in ebriosi vocabulo commissum librarius correxisset, illatos haberet.

Sed quamvis de his omnibus dubitari possit: tamen sunt cum aliqua ratione inventa, neque ii qui invenerunt eicienda ex descriptionibus aut exemplis schematum ea esse censuerunt, quibus omnino careri posset, sed eicere nisi causa aliqua accederet noluerunt. contra eae interpolationes, quas Jacobus ille Simon

passim reperire sibi visus est, etsi talia plerumque verba complectuntur, quae non prorsus necessaria sunt, tamen nulla ratione inventae sunt. nullam vero rationem esse qua ille utatur si demonstramus, singulis coniecturis eius refutandis possumus supersedere. plerumque autem ille sententias suas caussis non allatis ponit. ubi vero caussam affert, ea sic comparata est, ut circulus quem dicunt efficiatur. sic ubi concinniora Rutilii verba sibi reddenda esse putat, ibi id propterea dicit necessarium esse, quia quae tradantur, ea non sint concinne dicta. ea autem, quae ut interpolata eicere vult, antequam eiciat, tali mutatione emendare solet, ut pro verbi alicuius sequentis explicatione, quae a margine in textum errore illata sit, haberi possint. vix credas omnino excogitari talem rationem posse, quali ille ductus I, 2 Lycurgi exemplum sic conformavit 'quod adest sollicitudinis plenum, quod futurum est formidolosum, lex paratum supplicium ostentat (ostentans libr.) [vita ex vitiis coacta], occasionem arguendi maleficii captat (captans libr.) inimicus'. ea enim quae in libris leguntur 'vitia ex vitiis coacta' sic mutanda iudicat, ut iam Barthio videbantur: exemplum autem id putat fuisse paronomasiae sequentis margini adscriptum, unde cum in textum errore illatum esset, ostentandi et captandi verba in participiorum formam corrupta esse. at ne diutius in perversa illa artem criticam exercendi ratione moremur, id potius aggrediamur, quod iam promissi sumus.

Discrimen igitur librorum eorum faciamus, quibus Rutilium traditum habemus. neque id otiosum aut supervacuum est: nam ubi ii libri interse discrepant, quamvis coniectura saepissime Rutilii manus restituta sit, tamen diiudicanda librorum auctoritate et comprobantur eae coniecturae et emendandi nonnunquam nova ratio invenitur. removentur autem etiam dubitationes multae minuiturque ac simplicior fit apparatus qui dicitur criticus, quem apud Halmium equidem pluribus quam deberet lectionis varietatibus refertum esse censeo.

Et primum quidem nemo non videt omnes Rutilii libros ex

uno eodemque exemplo fluxisse: habent enim omnes vitia communia. eius modi sunt quaedam interpolationes, de quibus iam diximus, praeterea perditum antimetaboles initium atque alibi etiam omissa verba ut I, 3 'ingenio mobilem' post 'genere nobilem', II, 10 'nomen' ante 'imponam', denique corruptelae plurimae in omnibus pares inveniuntur. non opus est plurium testimoniorum copia, ut demonstretur ex eodem archetypo Rutilii libros ortos esse. neque vero is archetypus extat. quo autem scripturae genere scriptus fuerit, utrum literis maiusculis an minusculis verbisve singulis separatis an continuatis, id ex nonnullis scripturae vitiis investigandum iis relinquo qui earum rerum gnari sunt. sunt autem eius modi vitia I, 5 'promisse' pro 'promisce', 'respondisset' pro 'respondit se', I, 11 'iamque' pro 'tamque', II, 11 'ingenii' pro 'ingenti', I, 5 'sumere tam faceret' pro 'sumptum faceret', II, 2 'studio' pro 'stadio', II, 18 'paratis' pro 'parcitis', II,4 'negavit' pro 'negabit', I,19 'aliquo tres' pro 'aliquot res', multa alia.

Eorum tamen librorum, quos habemus, nonnulli ita interse cognati sunt, ut alterum pateat ex altero natum esse. itaque manifestum est nullam esse eorum rationem habendam, quorum primaria exempla adhuc habemus. item auctoritas nulla est eorum, quorum lectiones arbitrium librariorum produnt. coniecturae igitur eae lectiones sunt, saepissime etiam emendationes. sed de singulis libris dicendum est.

Ille autem codex Laurentianus, quem Ruhnkenius A litera significavit, neque ullius reliquorum librorum fons est neque ab ullo eorum pendet. omittuntur enim in eo quaedam verba, quae in ceteris omnibus leguntur neque ab eorum librariis possunt addita esse, ut II, 3 apud Halmium p. 14, 1 'putes' post 'omnibus'. praeterea corruptelam eandem saepe omnes libri habent, ubi vera lectio in A codice servata est. ita I, 9 'novissimo' in A legitur, 'novissime' in reliquis. hinc elucet ex apographo eius codicis, unde ille Laurentianus liber ortus est, ceteros libros fluxisse.

Id quoque apparet ne eum quidem librum, qui saepissime etiam ubi reliqui omnes discrepant cum A codice consentit,

alterum Laurentianum (B) dico, ex illo descriptum esse. sed hic liber fidem non habet, quia librarium quaedam ex arbitrio mutasse apertum est. exemplo sit II, 7 'domini interdictum', quod in reliquis corruptum est in 'domum interdictum'. id sibi corrigendum esse ratus alterius Laurentiani librarius perverse mutavit in 'domum interdictam'.

Hic autem liber etsi sua menda habet, tamen cum editione Veneta Perusini, quae anno MDXIX prodiit, ita congruit, ut statim appareat eius codicis ope illam editionem confectam esse. afferam nonnulla testimonia. I, 15 'omnia fieri' B cum ed. Ven. 'omnia feci' reliqui. II, 1 'quo sequebantur' B. Ven. 'quae sequebantur' reliqui. II, 3 'laudem et vituperationem' B, cum laudem librarius pro accusativo haberet, et Ven. 'laudem et vituperem' reliqui. II, 16 in Isidori exemplo 'nam ille' B. Ven. 'non ille' reliqui.

Neque igitur codici illi interpolato neque ei editioni, quae ex eo confecta est, nullam auctoritatem attribuere licet. fragmentum Riccardianum, ubi quidem talia habet, quae sine dubio vera sunt, ab A libro nusquam discedit, ab altero codice autem Laurentiano ne tum quidem differt, ubi errat. patet ergo plane carere nos huius fragmenti lectionibus posse.

Deinde illae lectiones in margine exempli editionis Basileensis adscriptae, quod ab Abr. Gronovio Ruhnkenius accepit, omnes eius modi sunt, ut, ubi editio Basileensis ab Aldi editione discrepat, ibi Aldinae editionis scripturam exhibeant. videntur igitur a docto quodam homine scriptae esse, qui duas illas editiones comparavit. neque vero ille vir doctus artis criticae imperitus fuit: unde factum est, ut etiam de suo quaedam proferret, quae neque in Aldina editione neque in ullo alio libro leguntur. eius modi est eximia eius coniectura, qua paronomasiae prius exemplum ita restituit 'non enim decet hominem genere nobilem ingenio mobilem videri'. 'ingenio mobilem' enim ceteri libri omnes omittunt. itaque haud contemnendae quidem sunt eae lectiones, neque tamen antiquitatis auctoritatem habent.

Priusquam de editionibus Aldi et Rhenani dicam, codicum restat Vindobonensis ille Halmii, cuius admodum exigua utilitas videtur esse. dixit autem Halmius eum cum Veneta Perusini editione mire consentire: imo cum ipso Laurentiano B ita consentit, ut eae omnes lectiones in eo quoque inveniantur, quibus Laurentiani illius et Venetae editionis similitudinem supra demonstravimus. atque etiam ea omnia exhibet, quae Laurentiani illius interpolatorem produnt. praeterea corruptelas habet, quae neque in B libro neque in Perusini editione leguntur, ut p. 3, 3 Halmii 'reddatur', 5, 1 'cum', 7 'tere', 22 'cum', 23 'filium', 6, 3 'dicitur' omissum, alia innumera. sed errat qui hinc concludat posse eum ex Laurentiano libro descriptum esse. nam quaedam etiam recta praebet, quae in B codice corrupta sunt, ut I, 10 ille liber pro 'nullo consilio' solus tradit 'nunc consilio'. unde mihi quidem certissimum est utrumque ex eodem exemplari interpolato fluxisse.

Itaque ne id quidem verum est, quod Halmius ad I, 1 annotavit 'Graeca figurarum nomina a Rutilio praescripta esse ex variis scripturae vitiis, quae ex Vindobonensi afferemus, facile apparebit'. eodem iure potuisset concludere etiam auctorum nomina a Rutilio Graeca scripta esse, quia in illo libro occurrunt eius modi vitia ut I, 4. I, 19. II, 2. II, 9. II, 11 Yperidu Hyperidus Hyperidu Hipocridu Hiperidu, I, 9 Stratocleus, I, 21 Lysiu similia. sed nihil inde elucet nisi librarii alicuius arbitrium, qui quae Graeca viderentur Graece scribere studeret. neque vero talia iam in eo exemplari extabant, unde B liber descriptus est: is enim Latinas formas ubique praebet. sed errasse Halmium iam tum patet, si figurarum nomina qualia II, 13 in contextu occurrunt comparamus. ibi enim homoeoteleuton et homoeoptoton fere sine scripturae varietate traduntur, II, 14 autem omnes habent 'quam Graeci prosodiam appellant'.

At omnino vera nusquam solus Vindobonensis habet, errores plurimos. plane nulla ergo est eius auctoritas nullaque utilitas neque ulla ex eo licet testimonia afferre.

Rhenaniana editio quanti propter editoris fidem aestimanda sit, eorum qui Rutilio operam navant nemo non intellegit. ille vero codex, quem Rhenanus fide secutus est, a Laurentiano A ita differt, ut neque ille ex hoc neque ex illo hic natus esse possit: habet enim uterque corruptelas, quae in altero non occurrunt. sed cum reliquis libris, nimirum cum Laurentiano B, Vindobonensi, fragmentis Riccardianis, quos omnes ex codice eodem interpolato fluxisse ostendimus, Rhenani editio quamquam libera est illarum interpolationum, tamen ita congruit, ut menda quaedam communia habeant. unde factum est, ut Laurentianus A nonnunquam solus veram lectionem servaret. eius modi corruptelas iam supra enumeravimus, cum de A libro loqueremur. itaque ex eodem archetypi apographo et codex ille interpolatus ortus est et liber Spirensis, ex quo editionem Basileensem confectam esse Halmius in praef. p. VI exponit. Laurentianum A autem non ex illo apographo sed ex ipso archetypo natum esse iam diximus.

Quaeritur denique, num ad restituendum archetypum Aldi quoque editio anni MDXXIII utilis aut necessaria sit. videtur autem editio ea arbitrium et acumen editoris passa esse neque cum fide ea reddere, quae in codice unde conficeretur scripta extabant. eius modi sunt I, 5 archetypi verba 'ipsi sumere tum faceret', ex quibus Aldinae editor haec conformavit 'ipsi sumeret ac faceret'. tales vero scripturae traditae correctiones in Aldina editione saepius occurrunt, ut I, 9 'quo ne tributa' I, 12 'quemvis extrariorum hominem' I, 13 'utilitatem continent' I, 16 'huius modi ut omnes' alia. errat autem editio Aldi saepe una cum Rhenaniana iisque libris qui ex interpolato codice orti sunt. talia vitia statim I, 1 in extremis Demosthenis verbis occurrunt 'accedit' et 'minimum'. sed Rhenani multae lectiones verae in Aldina corruptae sunt, ut eam ex codice Spirensi non fluxisse pateat. etiam ab interpolatis ita discedit, ut nonnullarum interpolationum libera sit. quamquam non omnium. nam II, 7 domum interdictam pro domini interdicto cum B libro et Vindo-

bonensi et editione Veneta communem habet. neque refert, ut unde sit orta atque quo loco in librorum familiam inserenda, inquiramus. nam tantum fuit editoris cum arbitrium tum acumen, ut ultro lectiones aliorum librorum veras invenisse atque falsas eorum, quos cognosceret, correxisse putandus sit. itaque huius editionis lectiones, ubi verisimiles sunt, pro coniecturis aestimandae neque contemnendae sunt: ceterum vetustae scripturae testimonium non praebent.

Etiam archetypus igitur non fuit liber annotationum nonnullarum, quae in textum a margine illatae erant. sed reliquae interpolationes sive mutationes, quae in nonnullis libris occurrunt, a viris doctis in restituendo Rutilio prorsus debent praeteriri. nam ad indagandas vetustas lectiones vel ad restituendum archetypum nihil opus esse praeter Laurentianum A et editionem Basileensem ex iis quae exposuimus apparet. ergo ubi hi libri consentiunt, nulla potest de archetypi scriptura dubitatio esse nihilque valet reliquorum differentia. ubi autem illi duo libri dissentiunt, aut alter aut uterque errat: neque tamen verum ex reliquis elici potest, sed coniectura inveniendum tali est, qua errandi quoque ratio explicetur.

De Rutilii libro deque eius doctrina et de artis criticae ratione, qua in tractando hoc libro utendum sit, iam satis exposuimus neque quicquam restat nisi ut ea, quae in novissima Lupi editione non prorsus recte scripta sint aut esse nobis videantur, breviter percurramus. quorum nonnulla iam commemoravimus. nimirum cum Rutilii liber non sit turbatus aut excerptoris manu corruptus, sed prope integer servatus, nullam caussam esse, cur duorum librorum divisionem retineamus, nisi id consuetudini concedi oporteat. sed hic liber quomodo inscribi debeat, valde dubium est. nam sive cum A codice legis 'P. Rutilii Lupi schemata dianoeas ex Graeco vorsa Gorgia' sive cum Rhenano 'P. Rutilii Lupi de figuris sententiarum liber prior. ex Graeco Gorgia vorsus', inepta est sententiarum schematum commemoratio. si vero cum Halmio inscribas 'P. Rutilii Lupi

schemata lexeos', non clucet unde illa corruptela nasci potuerit. recte autem fecerunt editores, quod Gorgiae mentionem ex inscriptione removerunt. itaque sic inscribas 'P. Rutilii Lupi schemata' aut si mavis 'P. Rutilii Lupi de figuris'. eum enim genetivum omisso nomine unde pendeat esse e more veterum constat.

Praeterea demonstravimus nullo iure figurarum nomina Graece ab Halmio edita esse. perlustrandae vero sunt singulae paragraphi. liceat autem nobis aliorum quoque post Halmium factas mutationes etiam si probandae non sunt, dummodo aliquid lucri ex iis capi possit, afferre ac diiudicare, praeterea observationes etiam bis terve inserere, quae etsi non ad Halmii editionem tamen ad ipsum Rutilii librum pertinent.

Statim I, 1 subinferendi verbum tale est, quod ante Augusti tempora usurpatum non invenias. particulam enim quae est 'sub' adiungere verbis compositis antiquiores tum modo audent, si sensim et occulte vel minutim aliquid fieri significare volunt. ita Cicero de subinvidendo subdiffidendo suboffendendo, Varro in satura de subdealbando loquuntur. motum vero alicuius rei, qui sub aliam rem fiat, ea particula in bicompositis rarissime significat neque nisi apud posteriores. ita subdividendi verbum habet Augustinus, subdistinguendi Pseudo-Asconius, praesentiam quandam simulacris subexhiberi dicit Arnobius, de subinferendo autem post Rutilium solus Augustinus loquitur. apud Rutilium igitur, si reliquias literaturae quae ad nostram aetatem pervenerunt consideramus, primum huius usus exemplum invenitur. omnino verba composita iterum componere apud posteriores quidem scriptores solemne est: apud antiquiores is usus certos fines videtur habuisse, qui adhuc investigandi sunt.

Deinde monendum est, ne quis in verbis, quae sunt 'cum singulis sententiis statim ratio subiungitur, hoc exemplo', offendat. sunt enim haec neglegenter dicta, sed agnoscendam atque probandam hanc Rutilii neglegentiam esse supra explicavimus.

I, 2 Ruhnkenius nocentem neminem sine summo maerore et terrore esse quam ut traditum est sine summo maerore maluerat. terrorem addidit, ut haec melius cum sequentibus congruerent. sed maeroris etiam terror causa esse potest neque necesse est terroris mentio fiat. iure ergo in tradita lectione Halmius acquiescit. at haec idcirco commemoravi, ut omnino vix posse terrorem ita ut Ruhnkenius fecit cum maerore coniungi ostenderem. terror enim est eius qui terret, non eius qui metuit. itaque terrorem habent eae res, quae mentem nocentis excruciant, ipse autem nocens non esse sine terrore dici nequit. terror animos invadit tenet concutit. ita notione vocis servata Latini loquuntur neque contradicit Tullii in Tusculanis IV, 8 definitio 'terror est metus concutiens, quo fit, ut terrorem pallor et tremor et dentium crepitus consequatur'. memorabilis est Servii ad Aen. XI, 357 annotatio, qua docet terrorem esse proprie qui aliis inferatur, metum quem habeant timentes: sed eo loco terrorem pro metu Vergilium usurpasse. verum est quod de terrore dicit, ineptum quod de Vergilio. eius enim verba, quae sunt 'quod si tantus habet mentes et pectora terror', ipsius Servii nostraeque observationi non adversantur, sed suffragantur.

I, 4 Jacobus Simon, cuius plurimas coniecturas sciens omitto, recte observavit apud Quintilianum, qui idem hoc Hyperidis exemplum vel potius ipsius Rutilii translationem affert, post ea quae sunt 'pro illiberali diligentem' omitti verba 'rei familiaris'. veri igitur dissimile non est apud Rutilium haec eidem interpolatori deberi, qui I, 7, ubi legitur 'in summo tempore', addidit 'periculi' alibi alia. ex Quintiliano etiam alibi Halmius librorum scripturas correxit, ut I, 10 in Charisii verbis, II, 16 in Demetrii Phalerei antitheto.

In eodem I, 4 exemplo pro 'virtutis laude', Halmius mavult 'ut virtutis laude', sed ipsius Rutilii manum credo corrigit. nam libros, qui tradunt 'nullum est enim vitium, quo virtutis laude

gloriari possis', non licet repraehendere, cum sensum aptum praebeant a Ruhnkenio recte explicatum.

1, 5 Halmium improbo, qui recepta Kellerbaueri coniectura scribit 'cum id quod ab altero dictum est — in aliam aut contrariam (mentem) accipitur'. non improbarem Rutilium, si accipiendi verbum pro excipiendo, quod traditur, adhibuisset: sed excipi ab audiente verba loquentis posse dici neque quisquam negabit neque exemplis demonstrare opus est. excipi enim ea dicuntur, quae alter ab altero suscepta continuat ut labores. hic verba excipi ita dicuntur, ut in aliam mentem continuentur.

Ibidem Stephanum probo, qui pro librorum lectione, quae est 'filius respondisset non esse se opus saepe eadem oratione moneri', restituit 'filius respondit se non esse opus'. hinc enim vitii origo magis apparet quam ex Ruhnkenii scriptura, quae est 'respondit non esse se opus'.

Post hanc paragraphum nihil intercidisse praeter sequentis initium supra ostendimus.

In epiboles descriptione I, 7 legitur 'varietas verborum, quae tamen eandem vim inter se habeat'. pro habendi verbi forma singulari recte Halmius pluralem numerum edidit, sed quaeritur, utrum indicativus ferri possit an potius cum Jacobo scribendum sit 'habeant'. sensus enim est 'varietas verborum, quae quamvis varia sint, tamen ita debent comparata esse, ut eandem vim interse habeant'. indicativum autem, si traditus esset, neglegentia Rutilii excusaremus: at cum necesse sit mutatione uti, tali utamur, qua etiam neglegentia vitetur, praesertim quoniam non gravior est quam altera.

In fine eiusdem paragraphi Halmius libros ultra Latini sermonis leges, ut mihi quidem videtur, secutus edidit 'omnium vestri facilitatem'. libri enim exhibent 'vestri', at pro 'omnium' habent 'dominii', ut appareat illud 'vestri' a pravo quodam correctore ortum esse neque ullam fidem habere. Ruhnkenius Ste-

phanum secutus veram scripturam ita restituit 'omnium vestrum facilitatem'.

In sequentis figurae descriptione traduntur haec 'in hoc autem omnium sententiarum unum atque idem novissimum verbum'. Halmius mavult 'idem est novissimum verbum'. sed quoniam tradita lectio ferri potest, abstineamus coniecturis, ne Rutilii ipsius verba concinnemus.

Ibidem Sosicratis verba sunt 'initio ad bellum suscipiendum nos primum impulit Philippus, deinde in ipso belli labore ac periculo deseruit nos Philippus, novissime nunc calamitati nostrae proinde atque culpae succensuit idem Philippus'. Ruhnkenius 'invitos' pro 'initio' restituendum coniecit, quam coniecturam nescio cur Halmius probaverit. offendit Ruhnkenius propterea, quod nemo praeter Rutilium 'initio' et 'primum' coniunxit: cum autem 'initio' vocem sustulisset, eodem studio pro 'novissime nunc' coniecit 'novissime huic'. nihil autem mutandum est, si omnino 'initio' et 'primum' coniungi possunt. at possunt: nam non idem significant, sed diversas relationes habent. Rutilius enim impellendi actionem per 'primum' vocem sequentibus Philippi actionibus opponit, per 'initio' vocem tempus impellendi significat.

I, 9 Halmius tradita verba, quae sunt 'reperire meliorem, quam a maioribus accepistis, non potestis', corrigere voluit, in addendis Augustini exemplo ea defendit, sed ne opus quidem est defensione.

In iis quae sequuntur 'at consiliis captas aerarii opes, quas cupitis augere, non potestis' augendi verbum ad 'cupitis' et ad 'potestis' referendum offensioni fuit: verbum alterum excidisse putarunt viri docti, sed sine causa. neque offenderunt Jacobus, Ruhnkenius et antiquiores. contra captae opes merito displicuerunt. temptarunt haec multi, sed ut vitium non prorsus recte intellegerent. nam etiamsi pro 'captas' talem vocem invenias, quae ad opes apte adici possit, non efficitur apta sententia neque reliquis duabus compar. nimirum consiliis omnino opes

augeri posse orator negare nequit, at prava consilia eorum repraehendit qui tributis minuendis augeri aerarii opes posse credant. itaque eius modi mutatio esse debet, ut talia consilia significentur.

Ceterum Halmius ita interpunxit, ut ex eius interpunctione neque schema neque cogitationum oppositio clare cognosci possint. sunt autem cola quae dicuntur ante 'at' coniunctionem ponenda. neque equidem vereor, ne ob res, quae minusculae videri possint, ab iis repraehendar, quibus philologiae natura cognita est.

Polyptoton Rutilius solere dicit complures sententias, alio atque alio modo ut pronuntientur efferre. Maehlius, qui scribendum coniecit 'alio casu', non librarium sed Rulilii ipsius neglegentiam non correxit, sed mutavit: nam neglegenter sententiae etiam alio atque alio casu pronuntiari dicerentur.

Epiploces descriptione I, 13 pro exemplo eius canonis licet uti, quem ad discernendas codicum scripturas statuimus. Ruhnkenius autem eumque secutus Halmius ediderunt 'quem ad modum catenam multi inter se circuli coniuncti vinciunt, sic huius schematis utilitatem complures sententiae interse connexae continent'. apparet vero eos ut libuit aliud ex alio libro elegisse. extant enim in Laurentiano haec 'quem ad modum catena — vinciunt, sic — utilitatem — continentur', contra in Rhenani editione 'quem ad modum catenae — vinciunt, sic — utilitates — continentur'. quodsi recte his testibus uti volumus, ab iis quae uterque praebet exeundum est, ut ea quae diverse praebeant constituantur. itaque vinciendi forma activa et continendi passiva servandae sunt, neque dubium est, quin vero appropinquemus, si ita scribamus 'quem ad modum catenam multi interse circuli coniuncti vinciunt, sic huius schematis utilitate complures sententiae interse connexae continentur'. hac vero via apparet vitium, quod viros doctos adhuc effugit: nam complures sententiae interse connexae non continentur utilitate schematis, sed unitate.

Praeter hoc vitium a nobis emendatum alia in eadem paragrapho occurrunt, quibus viri docti mederi studuerunt: sed pro traditis verbis aperte corruptis, quae sunt 'cui praesto est tua voluntas, industrius sit necesse est', Sauppii coniecturam, qua ex tua voluntate fecit strenuam voluntatem, in verborum contextum ab Halmio receptam esse miror. nam nullam ea mutatio certitudinem habet, qua statim se esse veram persuadeat: neque aptam efficit conclusionem, quia strenua voluntas iam industria est. num igitur Lycurgus dicat 'cui praesto est industria, industrius sit necesse est'? neque reliquae mutationes, quas Halmius enumerat, certae sunt. sensui earum sola sufficit Stephani, qui edidit 'cui praesto est sua voluntas'. sed ne moremur in vanis et incertis: modo moneamus incertam quoque esse Jacobi coniecturam ab Halmio receptam, qua corrupta verba quae sunt 'verae et facile felicitas laudis' sic mutantur 'verae et stabilis felicitas laudis'. nam pro stabili adiectivo alia quoque adiectiva aut etiam adverbia literis non dissimilia inveniri ad explendam sententiam posse apparet.

I, 15 Daphnidis verba ad dialysin illustrandam laudata Hauptius ita restituit 'diligentem prosperitatis vestrae esse'. in eadem figura autem Lysiae verba non debebat, opinor, Halmius ita mutare 'venit hoc tandem nobis novissime tempus ulciscendi', cum id quod traditur 'venit hoc tamen nobis —' intellegi possit.

I, 18 'pes ad fugam' appositissimus Stangero displicuit: quem Halmius secutus 'pedes ad fugam' edidit conferrique carminis de figuris v. 86 iussit. sed nequaquam ex eo versu, qui est 'cui furtum in manibus, fuga plantis, ventre sagina' colligi potest etiam Rutilium plurali pedum numero usum esse neque id per se necessarium est. nam saepissime apud scriptores manus et pes singulari numero posita inveniuntur, ubi de solo altero pede aut manu cogitari non possit. alia res est de oculis. oculum enim sicut Germani numero singulari Latini non dicunt, nisi ubi re vera alter tantum oculus significandus est.

itaque non dubitamus, quin post oculos Rutilius manum et pedem singulari numero dixerit.

I, 19 Hyperidis ex oratione adversus Aristogitonem verba Ruhnkenius quidem non prorsus recte ita edidit 'leges igitur, quae prohibebant haec, nonne legebas? non poteram, propterea quod literis earum arma Macedonum opposita obficiebant'. neque enim Aristogiton Hyperidem confiteri vult se eas leges legisse, sed non legisse. at ne Halmius quidem recte scripsit 'nonne neglegebas? non poteram aliter, propterea —' nam quia arma Macedonum obficiebant, idcirco non neglegendae erant leges, sed legi modo non poterant. itaque in Tollii emendatione censeo acquiescendum esse, qui lenissima mutatione librorum scripturam 'nonneglegebas? non poteram propterea —' ita correxit 'non legebas? non poteram, propterea —', nisi quod quaerendi signum hic locum non habet.

I, 21 in extremis Demosthenis verbis corruptis, quae sunt 'sed hic longe aliter atque hic —' Halmius illud 'atque' delevit: sed tum origo erroris non intellegitur. certitudinem vero reliquae etiam quae hic factae sunt coniecturae non habent.

In altero quoque Rutilii libro multa corrupta sunt neque certis mutationibus correcta. incertas autem mutationes nonnunquam Halmius in contextum recepit. idem etiam nonnunquam Ruhnkenii mutationes cur non probaverit, mihi quidem non apparet. alibi vero sine causa in traditis verbis offendit, alia post eum demum inventa sunt, alia adhuc emendanda. sed etiam hic paragraphorum ordinem sequamur.

Statim II, 1 Myronis verba ita edita sunt 'magnus ancillarum [quae sequebantur] comitatus ** appellabatur'. at haec intercidisse illa ex margine illata esse nequaquam certum est, ubi neque per se patet neque prae corruptelis certe cognosci potest, quid omnino auctor dicere voluerit.

Ibidem Stephanus descriptionem sic restituit 'alterum genus est cum ad id quod demonstrare instituimus ab alia re et actionem et orationem nostram revocamus.' quae restitutio sensui

satis facit: necesse modo est ut librorum scripturae magis appropinquemus. sic ergo legendum est 'alterum genus est, ad id quod demonstrare instituimus cum ab alia re orationem atque actionem nostram revocamus'.

II, 2 Ruhnkenius stadium pro studio recte videtur in Hegesiae verbis posuisse, quae sunt 'alter in studio laudis versabatur et industriae ac virtutis viam gloriosam sed laboriosam sequebatur', cum quia studii vocabulum paullo antea iam usurpatum est, tum quia sic apta efficitur et cum sequenti congruens comparatio.

Fratrum autem illorum is magis erat laboriosus, qui cum habendi cupiditate depravatus in augenda pecunia totus versaretur, 'laborem condendi non utendi causa suscipiebat'. Halmius causae vocem ab interpolatore profectam putat: mavult igitur de labore 'condendi, non utendi' sermonem esse. sed si acriter inquirimus, neque labor utendi quadrat neque non utendi labor cogitari potest. tradita autem lectio apta est.

Sequitur II, 3 corruptissimum dicaeologiae exemplum 'quodsi me repraehendis cum homo adolescens lapsus sim —'. ea, quae post Ruhnkenium tentata sunt, nequaquam veri necessitatem habent. itaque in illius restitutione acquiescere decet, antequam divinatione verum inveniatur.

II, 4 traditum est 'sed ut paratus (sed imparatus ed. Rhen.) venisse videbatur'. id quod Ruhnkenius posuit 'sed ut paratus venisse videtur' sensui satis facit. Halmius edidit 'sed ne imparatus venisse videatur', quod vereor ne non aptum sit. evitare enim, non quaerere debuit ille homo, de quo agitur, talem suspicionem, qua ipse precibus suis noceret.

II, 5 ubi haec traduntur 'ita ut fecit dives avarus in villa aedem fecit Fortunae. crimen arguitur temeritate illius, quae tam locupletis copias dederit ei, qui odisset uti', Halmius recte fecit, quod Ruhnkenium, qui Dinarchi nomen in divite avaro latere putabat, non sequebatur. nam cum sermo de eo sit, qui largis opibus uti nesciat, dives avarus eici non debet. sed prae-

stare Ruhnkenius dicit manum a mutilis et obscuris abstinere: itaque maluerim Halmium pro iis, quae sunt 'aedem fecit' in textum haec 'aedem deiecit' non recepisse. nam ea coniectura, quam propter literarum similitudinem commendat, vitium non tollitur. recte enim Jacobus Simon animadvertit hoc omnino non esse horismi exemplum. descriptionem igitur vel definitionem Fortunae aut intercidisse patet aut in iis, quae de divite avaro dicuntur, latere: de aede vero facienda aut deicienda sermo fuisse non potest. imo censeo divitem avarum nomen quoddam malum sive convicium imposuisse Fortunae eiusque appellationis rationem eam fuisse, quod temere illa tam locupletis copias dedisset ipsi, qui odissit uti. sensum igitur, non verba sic restituam: dives avarus prodigae nomen dedit Fortunae.

II, 6 versum in prosopopoeia propius ad libros accedens Hauptius nunc ita restituit 'haec facinori iuncta parit odium: inde exitium nascitur'.

Ibidem in exemplo Charisiano accedendi verbum a Gesnero mutatum est legiturque nunc 'supplicem vobis accidere', iure ut credo. sed rationem cur de accedendo hic dici non possit, hanc putamus esse. dativum accedendi verbo appositum invenimus, ut aut res significetur, quae accedente altera augeatur, aut persona, cuius res augeatur. propria autem accessio sive verus alicuius rei adventus significatur aut repetita praepositione aut nudo apposito accusativo. exempla in promptu sunt, sed non necessaria, quoniam id, quod diximus, ex ipsis loquendi legibus consequitur.

II, 9 synoecioseos descriptio haec est 'hoc schema docet diversas res coniungere —'. at schema non docet neque id Rutilii neglegentia excusare audeam, sed ex consuetudine eius mutationem hanc proponam 'hoc schema solet —'.

Nec graviorem puto II, 16 in antitheseos descriptione corruptelam esse. ibi ante Isidori exemplum haec leguntur 'est autem genus huius quod'. at novum genus iam commemorari significandum est. itaque alii aliter mutarunt 'est etiam' 'est

item' 'est autem aliud', Ruhnkenius deinde 'genus eius', ut ad ipsum antitheton, non ad primam eius speciem pronomen referretur. simplicissima mutatione scribas 'est autem genus aliud, quod'.

Descriptio autem quae sequitur, sic ut traditur, intellegi nequit. quid enim est genus aliud 'quod in eadem sententia priori verbo contrarium quod est infert et coniungi solet'? lucem aliquam affert id, quod deinde de alio illius figurae genere legitur 'aliud est item, quod superiori infertur sed consequenter'. hoc Sauppius collato Quintiliano (IX, 3, 84) ita illustravit 'Rutilius dicit hoc genus antitheti eius modi esse, ut non contraria sibi opponantur, sed ut ex priore posterius consequatur'. quod si verum est, sequitur antea Rutilium sic fere dixisse, ut vir doctus in margine ed. Rh. emendavit 'quo in eadem sententia priori verbo contrarium (adde 'quod est') inferri et coniungi solet'. vides hoc ita quoque exprimi potuisse, ut traditur, 'quod in eadem sententia priori verbo contrarium quod est infert' nisi quod et in hac et in altera scriptura extrema verba 'et coniungi solet' obscura manent.

Reliquimus adhuc schema characterismi II, 7 propterea, quia singularem ei operam Ussingius in Theophrasti editione navavit. is post characteras illam ebrii descriptionem suis aliorumque coniecturis partim mutatam partim emendatam edidit. post Halmium autem in hac descriptione certam emendationem nemo invenit praeter Hauptium, cuius scripturam 'quotidiani fuci eodem studio excitati convivae' Ussingius non recepit. noluerim autem eum de suo edidisse 'interea procedit simul et tempus et potio': ea mutatione enim librorum corrupta lectio quae est 'interea procedit simul et illud tempus et potio' non explicatur. ceterum coniecturae eorum, qui in his corrigendis elaboraverunt, id commune habent, quod non simplices sunt, sed duobus aut tribus locis aliquid mutent, ut in nonnullis de tradita scriptura nihil fere remaneat praeter quasdam literulas.

Sed displicet mihi etiam Madvigii ab Ussingio recepta mu-

tatio. is nempe pro his 'ebriosum ipsi vix ebrii cognoscunt' ita scribi iussit 'ebrii se ipse vix cognoscunt', quo efficitur et cogitatio nimis subtilis reliquaeque descriptioni prorsus impar. corruptelae autem mira origo esset: alteram enim vocem Madvigius ita mutavit, ut alteram commode posset eicere. sed cur omnino in tradita scriptura offendit? credo quia hunc eius esse sensum ineptum putavit 'ebriosum ipsi, vix nunc cum ebrii sint, cognoscunt', quasi ebrietas facilius cognoscendi causa esset. sed necessarium non est vix particulam cum ebriis coniungere: imo cum cognoscendo coniungenda est. ita habes sensum aptissimum 'ebriosum ipsi vix cognoscunt, quia ebrii sunt'. ebrii igitur adiectivum causae expositionem continet: quod explicandi genus saepius est adhibendum.

Haec vero protuli, non quod aliorum merita non agnoscerem, sed quia tacendum non esse putabam, ubi ad cognoscendam veritatem aliquid conferre posse mihi viderer.

VITA.

Ioannes Draheim, natus sum Berolini ante diem VII Kal. Novembres anni MDCCCLIII patre Ludovico ministerii regii secretario, matre Guilelmina de gente Kunowiana. fidem evangelicam accepi. duodecim autem annos Berolini degi unicus parentum filius, in quem educandum et erudiendum et pater et mater omnem curam contulerunt. gymnasium frequentavi Friderici Guilelmi, cuius praeceptores et Rankium directorem pia memoria semper mihi colendos proposui anno h. s. LXVI pater carissimus obiit, mater Sedinum, unde orta est, mecum migravit. alteram igitur patriam nactus in gymnasium quod a Maria nomen tenet receptus sum. praeceptores habui praeter alios Calonem et K. E A. Schmidtium doctrinae animique praestantia eximios. maturitatis testimonium adeptus anno aetatis XVII. Berolinum redii, ut studiis philologicis et theologicis operam navarem. nomen apud philosophorum ordinem professus mox totum me ad philologicam disciplinam converti. scholas adii per octies sex menses cum aliorum virorum celeberrimorum tum Hauptii Kirchhoffii Müllenhoffii Bonitzii Mommseni Zelleri Hübneri Heydemanni. Benevolentia deinde Hauptii et Kirchhoffii vv. cl. mihi contigit, ut per duo annos seminarii regii philologici sodalis essem. societatibus suis interesse mihi permiserunt Kirchhoffius Müllenhoffius Bonitzius Heydemannus. his viris omnibus ut gratum me praebere discipulum possim, summae mihi semper curae erit. contigit autem mihi, ut Hauptius paullo ante quam obiret hunc libellum benigne acciperet: vehementer vero doleo quod gratiam ei vivo referre ampliorem non licuit.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 092 206 2

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Ar. Nub 788 τίς ἦν, ἐν ᾗ ματτόμεθα μέντοι τἄλφιτα; non Strepsiadis verba sunt, sed Socratis.

II. Xen. Cyneg. II, 3 legendum est ψυχὴν δὲ ἱλαρόν.

III. Aristarchus Pindari carmina non edidit, sed editionem ab Aristophane factam commentario illustravit.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 092 206 2